

firmari: sed timide probare: ea concedere quibus positis thesis ipsius solide subverteretur. Existimo etiam D. Herdesiano esse notum in ἐωλοκρασία. Aulæ Charitinæ τῶ πανταχῶ πρωτοστάτην, spiritu lagenæ plenum, munitatum Empusam, quæ proximis Nundinis proditura, & consensum Orthodoxum(d) subversura esset. Si nihil aliud μορμολύκειον videbimus. Bene vale optime Dn. Compater & Doctor consultissime, Christus Jesus qui est sapientia æterni patris tibi dextre adsit, & tibi εὐβελίαν Patris salutarem suggerat; Saluta etiam eximium Theologum Dn. Durnhoferum. Basilea Calendis Maji 1583.

Tuus J. Grynæus.

EPISTOLA XXVIII.

S Quoniam ante dies paucos, sacro tuo conjugio, vir præstantissime sum gratulatus: nunc nihil aliud habeo, quam ut te rogem, ut fasciculum istis literis, inclusum Altdorfium mittere digneris. Scripserunt enim ad me peramanter D. Edo (a) & D. Buse-

(d) cujus autor est Herdesianus, uti supra jam p. 47. indicatum.

(a) de quo supra Epist. XI. p. 37. & 40.